

parris recitat, in quibus per scriptum erat, præcipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibuscum plurima bella tolerauisset. Vbi primum à luctu requiescet animus, acturum apud patres de postulatis eorum: misisse interim filium, vt sine cunctatione cõcederet quæ statim tribui possent: cætera senatui seruanda, quem neque gratiæ, neque seueritatis expertem haberi par esset. Responsum est à concione, mandata Clementi centurioni quæ præferret: is orditur de missione à sexdecim annis, de præmiis finita militiæ: vt denarius diurnum stipendium foret: ne veterani sub vexillo haberentur. Ad ea Drusus cum arbitrium senatus & patris obtederet, clamore turbatur: cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adleuandis laboribus, denique nulla beneficiendi licentia. At hercule verbera, & nec cunctis permitti. Tyberium olim, nomine Augusti, desideria legionum frustrari solitum. easdem artes Drusum retulisse. nunquam nisi ad se filios familiarum venturos: nouum id planè, quod Imperator sola militis commoda ad senatum reiciat: eundem ergo senatum consulendum quoties supplicia, aut prælia indicantur. an præmia sub dominis, pœnas sine arbitro esse? Postremò deserunt tribunal, vt quis prætorianorum militum, amicorumue Cæsaris occurreret, manus intentantes, [causam discordiæ, & initium armorum] maxime in fensu Cneo Lentulo, quod is ante alios ætate & gloria belli, firmare Drusum credebatur, & illa militiæ flagitia primus aspernari. Nec multò post digredientem cum Cæsare, ac prouisu periculi hyberna castra repetentem circumsistunt rogitantes, quò pergeret? ad imperatorem, an ad patres? vt illic quoque commodis legionum aduersaretur? simul ingruunt, saxa iaciunt. Iamque lapidis ictu cruentus, & exitii certus, ad cursu multitudinis, quæ cum Druso aduenerat, protectus est. Noctem minacem, & in scelus erupturam fors leniuit. Nam Lu-

ⁱ hæc super sunt.

OBSERVATIONES.

a Imperator mirificè sibi conciliat beneuolentiam exercitus, si palam profectur, sibi illius præcipuam esse curam; ac milites rerum ab se, ipsorum opera & virtute gestarum commonescit, eosque suorum laborum, ac periculorum socios nominat.

b Seditio iis rebus continuò sedari potest, quæ illi causam dederunt, si concedantur.

c Amplissimi ordinis arbitrium esse debet, quos princeps gratia completi debeat; & erga quos iidem seueritatem adhiberi oporteat.

d Imperatores nomine principis, i. obtinentes se principem consulturos esse, desideria militum leuiter frustrari possunt. quid prohibet, quominus hac arte utantur ij omnes, quibus principum negotia sunt commissa?

e Planè iniquum est, vt supra annotaui, ei permitti supplicia, & grauissimas quasque animaduersiones, cuius in manu non est commodis, & utilitati eorum prospicere, quibus præest.

f Nequam, & seditiosum homines iis plerunque sunt in fensu, quos præ cæteris gloria belli, & virtute præstare, ac proinde sua flagitia aspernari vident. certè in eorum perniciem, siquidem eos suis commodis aduersari putant, mira audacia, ac ferocia præcipites ruunt.